



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, l. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Preium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Megjelenik Budapesten, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tizszer egy évben. Előfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Insula viperarum. (4.)

Scripsit Carmen Sylva; Latine vertit Georgius Kaul, dr.

«Mentiris!» exclamavit Colubra animo perturbato. Quo temporis momento illa veta¹ in viperam ingentem mutata sibilans² virginem corripuit spirisque³ ligatam iamiam strangulavit,⁴ nisi Ovidius summa vi beluam comprehensam avulsisset et longe abieciisset. Vehementissime puella manus eius osculata est et saltatrices⁵ corona rosa et lauro nexa caput eius cinixerunt. Tum primum vestis suae recordatus est; vestimenta eius non erant festa⁶ et facies alias bene rasa⁷ tunc aspera erat attactu. Sed non multum temporis ei erat considerandi; nam puerulus quidam ei institit⁸ precibus obsecrans:

«Aufer me tecum! O aufer me tecum! Tam verus ero, tam verus, quam radii solis et tam purus, quam aqua fontis! Modo aufer me tecum! Vidi te virum fortem esse; ego quoque fortis fui! Adeo viribus valebam,⁹ ut omnes pueri pugnos meos verebentur!» Quod cum dixisset, inter rosea labella¹⁰ eius lingula acuta atque fissa¹¹ exsiliuit et ante oculos poetae puer factus est parvus anguis fragilis, qui pedes eius amplexus implicavit.

«Ne unam quidem horam», inquit Colubra indignabunda, «miselle vermicule¹²

verus esse potes!» Ovidius ad misericordiam propensus¹³ parvum anguem intuebatur et diu non movebatur, ne eum laederet.

Mox autem amica eum longius trahens: «Nonne vides — inquit — solem occidere? Puto me audire carinam cumbae Charoneae per aequor strepentem. Iam hinc abscedendum est tibi! Ipsa insulae natura turpissima est; tu memoriam pulchri somnii retinetō!»

Ovidius autem etiam tum cunctabatur. Flores deceptos puellis iaciebat, longe in mare prospiciebat, quod tunc auro et purpura tingebatur.¹⁴

At ratis atro velo, quasi ipsa nox esset, silentio advecta est tenebris circum diffusis.¹⁵ Quamquam ratis magna erat, tamen unicus nauta inerat, barba cana, oculis concavis.¹⁶ Manibus osseis ingentem contum¹⁷ tenebat, quo navem regebat, donec illa stridens in arenam detrusa est.¹⁸ Tunc conto ex aqua elato guttae delabentes solis occidentis luce repercussa¹⁹ tamquam aurum fulserunt.

«Veni!» susurravit Colubra pallescens.

¹ vénasszony ² sziszegve ³ gyűrűivel körülfonva

⁴ megfojt ⁵ táncoló leányok ⁶ ünnepi, ünneplő ⁷ bo-

rotvált ⁸ által élébe ⁹ olyan erős voltam ¹⁰ :jak

¹¹ két ágú ¹² féreg ¹³ hajló ¹⁴ fényben úszott ¹⁵ el-

ömlő, terjedő ¹⁶ üreges ¹⁷ rúd ¹⁸ ütődött ¹⁹ vissza-

verődő.

Per.
Lat
020



At Ovidius stetit pavore defixus. Charon conto in altum lato arbores pulsavit tam vehementer, ut putares fragorem²⁰ caeli audire. Et ecce, omnis turba illa ad ratem ruebat; manus tendebant supplicantes. Ille autem alta et magna voce quaesivit: «Quis mille annos verum dixit?»

«Ego! ego!» undique sonuit. At omnes hoc verbum locuti statim in viperas mutati sunt. «Ego!» inquit mulier quaedam pulcherrima, quae per spiras viperarum viam sibi patefaciebat et cuius velamen album per crepusculum²¹ fulgebat, «ego mille annos tacui, ut cum meis septem liberis in Elysium congregarer!» Quod cum dixisset, in ratem volavit.

«Ego!» dixit Colubra voce lenissima.

«Tune?» inquit Ovidius tristis, — «sed tunc te orbabor, tunc quidem tibi a me abscedendum erit!» Colubra primo poetam aspexit, deinde navigium.

«Si puella manere possem, te tantum amarem neque ullius alterius essem!»

Vix ea dixerat, cum in eundem angulum mutata est atque antea fuerat. Iam stridente carina Charon navem solvit. Tum arbores frangi, flores in pulverem redigi, herbae exarescere,²² barba cana Charontis et velamen album lucente luna magis magisque procul fulgere, inter arenam et vepres²³ sinuari et volvi nitentia et lēvia terga viperarum. Tum Ovidius exhorruit. Quam celerrime poterat, ad navem suam properavit. Cum exclamaret: «viperae! viperae!» e somno excitavit suos, qui graviter ferentes oculos abstenserunt et murmurantes dixerunt: «Nonne idcirco huc venimus, ut viperas spectaremus?»

«Modo pergit, pergit!»²⁴ inquit Ovidius prae formidine etiam amiculae²⁵ oblitus. Sed cum navem solveret, illa ei in mentem venit et Ovidius magna voce exclamavit: «Colubra! Mea parva Colubra fidelissima!» Tum lenissimus risus ei ad aures sonuit et nescioquid lēvis et subfrigid²⁶ collum eius amplexum est et lunaclare lucente duo oculi eum diu contemplabantur.

At nautae putabant prorsus²⁷ mente captum esse poetam, quippe qui nihil diceret,


quam interdum: «Mille annos! Et propter me!» et nescioquid nitidi in collo eius palpabat,²⁸ quod ornamentum quoddam esse aestimabant...

Ex illo tempore plurimi anni iani praeterierunt et semel demum Insula viperarum rursum pulchra fuit; sed nemo eam vidit.

At si quis nostrum anno bis millesimo viveret et esset poeta!

Finis.

²⁰ mennydögés ²¹ homály, szürkület ²² kísárad ²³ csipkebokor ²⁴ siessetek! ²⁵ barátnő ²⁶ hideg, hüvös ²⁷ egészen ²⁸ vonaglik.



LECTORIBUS MINIMIS.

Egestas.

Olim quidam homo tres filios habebat, sacerdotem, scribam, rusticum.

Rusticus ille putabat ideo se pauperem esse, quod scholas non frequentasset.¹ Ergo iam sexagenarius² scholam frequentare coepit. Quoniam vero in eo pago,³ ubi ipse habitabat, schola erat nulla, in vicinum pagum ire cogebatur. Aliquando e schola rediens in via praeter agrum tritico consistum⁴ cistam⁵ nummorum⁶ invenit. Cum cista gravis esset, non eam domum tulit, sed intro in segetem⁷ traxit et nummos noctibus per partes⁸ domum tulit.

Statim domum, boves, porcos⁹ aliaque necessaria emit. Sed aliquando fama tulit quandam nobilem cistam nummorum amisisse. Tum iudices pagani,¹⁰ qui rusticum divitem fieri viderant, eum arcessitum¹¹ interrogaverunt, invenissetne cistam nummorum.

— Inveni — respondet rusticus.

— Quando?

¹ iskolába jár ² hatvanéves ³ falu ⁴ búzaföld
⁵ láda ⁶ pénz ⁷ vetés ⁸ részletekben ⁹ malac
¹⁰ falusi ¹¹ hivat.

— Cum scholam frequentabam.

Quoniam vero pecunia paulo ante amissa erat, rusticum canum¹² dimittunt. Rusticus, ne postea se proderet, in agrum pro consuetudine exibat ille quidem laboratum, tamen etiam futuri providus¹³ uxori dixit:

— Ecce, mea coniux, hi nummi, multi sint licet, olim deficient. Ergo duo milia seponamus¹⁴ ad egestatem, cetera, ut oportet, dispensemus.¹⁵

Sed mulier egestatem hominem esse rata putabat illa duo milia nummorum alicui tribuenda esse.

Aliquando cum vir eius feni¹⁶ secandi causa abasset, venit mendicus. Mulier quaerit, ipsene esset egestas.

— Ita est — respondet mendicus, — in maxima sum egestate.

— Agedum, — ait mulier, — iam pridem te expectamus; duo milia nummorum tibi seposuimus.

Mulier nummos dedit mendico, qui celeriter discessit. Vespere cum vir domum rediret, mulier laetissima obviam ei currens clamat:

— Hic fuit Egestas!

— Quae egestas?

— Cui duo milia nummorum seposuimus.

— Heu te stultam! nonne dixi nos duo milia nummorum seponere ad nostram egestatem, id est, cum nos ad angustias rei familiaris deciderimus? Ego iam rubore perfusus peregre¹⁷ abibo et tam diu ambulabo, dum hominem stultum tui similem reperiam.

Rusticus eo vespere abiit et quoniam caelum astris ornatum erat, in itinere illud usque¹⁸ spectavit.

Iam in altero pago ibat; ibi quaedam mulier posti¹⁹ effulta²⁰ admirans interrogavit, cur caelum usque spectaret. Rusticus ioco²¹ respondit:

— Portam caeli specto, ne praeteream.²²

— An de caelo venis?

— Inde hercle²³ venio — respondet viator.²⁴

— Novistine virum meum?

Postquam mulier nomen viri sui dixit, respondet rusticus:

Quidni²⁵ eum noverim? nam vicini sumus; sed vir tuus in extremis sane angu-

stiis est: neque pecuniam neque vestem aut aestimationem²⁶ habet.

— Ei virum miserum! — ait mulier. — Veni ergo, ecce duo et dimidia milia nummorum, affer viro meo; deinde ecce duas vestes, elige tibi quoque unam, alteram affer ei, ut bonam habeat aestimationem.

Postquam rusticus panem, carnem, vinum, quae mulier ei apposuerat, consumpsit, mulierem valere iussit.²⁷ In itinere caelum usque spectabat, dum mulier eum videbat; sed cum e conspectu eius evanisset,²⁸ deiecto capite laetus domum rediit.

Domi mulieri narravit, quid factum esset et quoniam stultiorem mulierem uxore sua invenerat, ei ignovit.

Nisi mortui sunt, etiam nunc vivunt.

V. Fehér.

¹² ösz ¹³ gondoskodó ¹⁴ félretesz ¹⁵ gazdálkodik
¹⁶ széna ¹⁷ világgyá ¹⁸ foltony ¹⁹ ajtófélfa ²⁰ támaszkodó
²¹ tréfából ²² eltéveszt ²³ bizony ²⁴ utas ²⁵ miért
 ne ²⁶ becsület ²⁷ elbúcsúzik ²⁸ eltűnik.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Sunt, qui, quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen invidiae metu non audeant dicere. Quod genus peccandi vitandum est in rebus urbanis: et T. Quinctius Capitolinus vitavit. Cum certamina patrum et plebis Romanam civitatem distraheret, Aequi Volscique cum exercitu ad urbis moenia populantes accesserunt. Postquam inde inulti praedas egerunt, tribuni dilectum militum impedierunt. Tum T. Quinctius Capitolinus quartum consul populum in contionem vocavit et: «His ego — inquit — alia dictu gratiora esse scio: sed necessitas cogit me vera loqui pro gratis, etsi meum ingenium non moneret. Vellel equidem vobis placere, Quirites, sed malo vos salvos esse.»

(*Livius.*)

*

Postquam Athenienses in contione Phocionem mortis damnaverunt, tranquillo vultu ab amicis domum deducebatur. Cum vero ad mortem duceretur, obvius ei fuit Emphiletus, quo familiariter usus erat; qui lacrimans dixit: «O quam indigna pateris, Phocion!» Tum ille: «At non — inquit — inopinata; hunc enim exitum plerique clari

viri Athenienses habuerunt.» Unus ex inimicis in faciem eius inspuit. Phocion ad archontes se convertit et: «An nemo — inquit — compescet huius hominis petulantiam?» Quidam ex amicis rogavit eum, quid filio suo mandaret. «Iubeo — inquit — eum iniuriae ab Atheniensibus in me illatae oblivisci.»

(*Plutarchus.*)

*

Diogenes, si mortuus esset, se inhumatum projici iussit. Tum amici interrogaverunt: «Num avibus et feris?» Diogenes: «Minime vero — inquit —; sed ponite apud me baculum, quo eas abigam.» Illi: «Quomodo poteris? — inquiunt — non enim senties.» Tum ille: «Quid igitur mihi ferae nocebunt, si non sentiam?»

(*Cicero.*)

*

Babyloniorum regina, Nicoris, loco edito sepulcrum sibi extruci atque haec verba inscribi iussit: «Si cui regum post me inopia pecuniae fuerit, aperiat sepulcrum et sumat, quantum libuerit. Ne tamen aperiat, nisi indigerit.» Hoc sepulcrum intactum permanxit, donec regnum pervenit ad Darium. Hic recluso sepulcro non quidem pecuniam, sed cadaver et haec verba scripta repperit: «Nisi turpis lucricipidus es, mortuorum sepultra non violasses.»

(*Herodotus.*)

*

Aliquando statuam Constantini Magni imperatoris nonnulli ex eius inimicis lapidibus petiverunt. Amici Constantinum hortati sunt, ut supplicium sumeret de contumeliae auctoribus, qui faciem eius deformassent ac vulnerassent. Verum ille vultum et caput contrectans leniter subrisit et: «At ego — inquit — nullum in ore aut in fronte vulnus invenio.»

(*S. Chrysostomus.*)

*

Cum Socrates colapho percussus esset: «Molestem est — inquit — quod nesciunt homines, quando cum galea prodire debant.» Alias a protervo quodam homine calce petitus, rem patienter tulit. Quod cum amici mirarentur: «Quid enim? — inquit — si me asinus calce petivisset, num illi diem dixisse?» Denique cum amicus dixisset ei a quodam maledici: «Bene — inquit —, quia loqui non didicit.»

(*Diog. Laert.*)

Sententiae.

Insta,¹ ne cesses,² veniunt post semina messes.

*

Est valde insanus, qui non vult vivere sanus.

*

Noli equi dentes inspicere donati.

*

Ex pravo³ ovo pullus⁴ bonus non venit ullus.

*

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus.

*

Cum parvula est, bona videtur spina.⁵

*

Labitur ex mente heu cito res bona, sed mala lente.

*

Lacrima nil citius arescit.⁶

*

Lumina inter umbras clariora sunt.

*

Nihil est quod timeas, si innocens es.

*

Cum recte vivas, ne cures verba malorum: arbitrii⁷ non est nostri, quid quisque loquatur.

*

Nullum est magnum malum praeter culam.

*

Qui invident, egent, illi, quibus invidetur, rem tenent.


*

Invidus alterius macrescit⁸ rebus opimis.

*

Sequitur superbos ultor a tergo deus.

¹ igyekezz ² veszegel, késlekédik ³ záp- ⁴ csirke
⁵ tövis, tüske ⁶ szárad ⁷ nem tölünk függ ⁸ sová-
 nyodik, em/sztődik.



Franciscus Iosephus Haydn,

praeclarissimus ille musicus Austriacus quodam die iam clavichordio canebat,¹ cum lanius² oppiduli, ubi artifex tunc temporis commorabatur, cubiculum eius ingressus hisce verbis eum compellavit: «Veniam peto tuam, domine, quod turbatur te veni, sed sine me unum exorare te. Cum enim nimis mihi placeant opera tua, imprimis autem illa 'menuets', obsecro te, ut ad nuptias filiae meae huiuscmodi opusculum velis componere. Pretium laboris tui, sit quantumcunque, promptissimo tibi persolvam animo».

Cupiditate hominis aequis auribus accepta Haydn dimisit eum satis comiter, mox ad opus componendum perrexit³ omnemque curam toto die in hanc rem unam advertit.⁴

Die postero artifex clamore insolito e somno excitatus est: foris ingens mugitus audiebatur. Vix exsurrexerat, cum hospes hesternus intravit. «Operis causa veni» ait lanius verecunde, postquam musicum benigne salutavit. Haydn opus compositum ei tradidit. Tum ille: «Des veniam, inquit, oro et accipe hoc donum exiguum sane signum gratiae meae» simulque dígito ad aream adversam monstravit. Artifex subridens e fenestra despexit et bovem pulcherrimum in area conspexit, cui cornua large inaurata⁵ erant. Haydn donum lanii nullo modo accipere voluit, tandem coactus illius precibus accepit animal. Inde inscriptum est illi operi: «menuet bovis».

*Julius Vattamány,
disc. Sopianensis.*

1 zongorázik 2 mészáros 3 hozzáfog 4 ráfordít
5 arannyal bevont.

Volenti nil insuperabile.

*

*Magis cavenda amicorum est invidia, quam
insidia hostium.*

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Versus ex Ausonii Mosella selecti.

Decimus Magnus Ausonius natus est a. 310.p. Chr. n. Burdigalae,¹ oriundus patre medico. In urbe patria et Tolosae² primum grammaticam, post Burdigalae rhetoricam cum multis annos docuisse, ab imperatore Valentianino I. ad filium Gratianum educandum Augustam Trevirorum³ arcessitus est. Ad summos honores proiectus anno 379. etiam consulatum adeptus est. Mortuo Gratiano in patriam reversus exeunte saeculo quarto decessisse putatur.

In multis eius poematis, quorum potissima⁴ sunt Epigrammata, Liber epistolarum, Parentalia, Commemoratio Professorum Burdigalensium, Caesares, Carmina in Bissulam, Mosella, cum inveniatur magnus puerilium nugarum⁵ et futilium,⁶ ne dicam quisquiliarum⁷ acervus,⁸ unius tamen, Mosellam dico, cum venustate, tum imprimis rerum naturae vegetissima⁹ descriptione legentium animus maxime capit.

Laus Mosellae.

*Salve, amnis, laudate agris, laudate colonis,¹⁰
dignata¹¹ imperio debent¹² cui moenia¹¹ Belgae,
amnis odorifero¹³ iuga vitea¹⁴ consite¹⁵ Baccho,¹⁶
consite¹⁷ gramineas, amnis viridissime, ripas:
naviger ut pelagus, devexas pronus in undas¹⁸
ut fluvius, vitreoque¹⁹ lacus imitate profundo¹⁹
et rivos trepido²⁰ potes aequiperare²¹ meatu²⁰
et liquido²² gelidos fontes praecellere²³ potu:²²
omnia solus habes, quae fons, quae rivus et amnis
et lacus et bivio²⁴ refluxus²⁵ manamine²⁴ pontus.
tuplacidis praelapsus²⁶ aquis nec murmura venti
ulla nec occulti pateris luctamina saxi;²⁷
non spirante vado rapidos properare meatus
cogeris,²⁸ exstantes medio non aequore terras*

1 Bordeaux 2 Toulouse 3 Trier 4 1-gkválóbbak
5 csacskáságok 6 haszontalanságok 7 selejtes 8 halom,
esomó 9 eleven 10 szántóvetők, l. kők 11 a trieri
császári palota 12 köszönök 13 illatos 14 szőlőhegyek
15 beültetett 16 = vino 17 benött 18 lefelé sikló hullámoddval tovafolyva 19 kristálytiszta fenék 20 szökdellő folyásoddal 21 felér 22 üde italoddal 23 túlteszél 24 kettősítű hullámzással (t. i. apály, dagály)
25 vissza folyva 26 tovafolyva 27 nem tusakodol a bűv szíklával 28 nem kell zajló zátonyon át rohanni sebes folyásoddal.

interceptus²⁹ habes, iusti³⁰ ne demat honorem nominis,³⁰ exclusum³¹ si dividat insula flumen. tu neque limigenis³² ripam praetexeris ulvis, nec piger immundo perfundis litora caeno:³³ sicca in primores³⁴ pergunt vestigia³⁵ lymphas.³⁴ i nunc et Phrygiis³⁶ sola levia³⁷ consere³⁸ crustis³⁶ tendens marmoreum laqueata per atria campum,³⁹ ast ego despectis, quae census⁴⁰ opesque dederunt, naturae mirabor opus, non cura nepotum⁴¹ laetaque⁴² iacturis ubi luxuriatur⁴³ egestas. hic solidae⁴⁴ sternunt⁴⁵ umentia litora harenae, nec retinent memores⁴⁶ vestigia⁴⁷ pressa figurae.⁴⁶ spectaris⁴⁸ vitro per levia terga profundo, secreti nihil amnis habens: utque almus⁴⁹ aperto panditur⁵⁰ intuitu liquidis obtutibus aër nec placidi prohibent⁵¹ oculos per inania⁵² venti, sic demersa⁵³ procul durante⁵⁴ per intima visu cernimus, arcanique patet⁵⁵ penetrale profundi, cum vada lene meant liquidarum et lapsus⁵⁶ aquarum prodit⁵⁷ caerulea dispersas luce figurae: quod sulcata⁵⁸ levi crispatur⁵⁹ harena meatu, inclinata⁶⁰ tremunt viridi quod gramina fundo, usque⁶¹ sub ingenuis⁶² agitatae⁶³ fontibus herbae vibrantes⁶⁴ patiuntur aquas lucetque latetque culculus⁶⁵ et viridem distinguit⁶⁶ glarea⁶⁷ muscum,⁶⁸ haud aliter placidae subter vada laeta Mosellae detegit⁶⁹ admixtos non concolor⁷⁰ herba lapillos.⁷¹ Selegit, praefatus atque interpretatus est Carolus Ács.

²⁹ megszakítva ³⁰ a valódi folyó nevet ³¹ ki-zárt, félretolt, elrekesztett ³² iszapszülte ³³ sár
³⁴ a víz széle ³⁵ lépés, láb ³⁶ phrygiai már-ványlap ³⁷ a síma földet ³⁸ rakd ki ³⁹ palotáid
 mennyezetét márványmezővel borítva ⁴⁰ vagyon
⁴¹ a tékozlók pazarlása ⁴² a fecsérlesben örömet lelő szegénység ⁴³ dözsöl ⁴⁴ kemény, összeálló homok
⁴⁵ borítják ⁴⁶ maradandó alakokat ⁴⁷ benyomott lábnyomok ⁴⁸ síma felszínenek (tükörön) át kris-táltyszta fenek látható ⁴⁹ éltető ⁵⁰ feltárul, élétárul ⁵¹ elfogják ⁵² a végteken ürben ⁵³ meglátjá a messze fene-kre lemerült dolgokat ⁵⁴ ha tekintetünk a víz belsejében időzik ⁵⁵ a titokzatos mélység keble feltárul ⁵⁶ lejtése, folyása ⁵⁷ megmutatja ⁵⁸ baráz-dált ⁵⁹ fodrózik ⁶⁰ meghajló, hajladozó ⁶¹ szüntelen természetes ⁶³ mozgó, imboldygó ⁶⁴ rezgő ⁶⁵ kö-vecske ⁶⁶ elkülönít ⁶⁷ kavics ⁶⁸ moha ⁶⁹ feltünteti ⁷⁰ színben elütő, másszinű ⁷¹ kövecske.

EX ARCHIVO LATINO HUNGARORUM

E Marci Chronicis

de gestis Hungarorum.

Rex Bela quartus coronatur.

Rex Bela post eum,¹ filius eius coronatus est, pridie Idus Octobres, feria prima, qua cantatur: «Da pacem Domine!» in cathedrali² ecclesia² Beati Petri Albae,³ quam ipse consecrari fecit, Colomanno Duce fratre eiusdemensem regalem ad latus ipsius honorifice⁴ tenente, Daniele vero Duce Rutenorum equum suum ante ipsum summa cum reverentia⁵ ducente. Regnavit autem XXXV annis.

Adventus primus Tartarorum.

Anno Domini MCCXLI. ipso Bela regnante Mangali⁶ sive Tartari cum quinques centenatis milibus armatorum regnum Hungariae invaserunt, contra quos Bela rex iuxta flumen Seo⁷ proelians vincitur, in quo proelio fere extinguitur militia regni Hungariae universa. Ipso vero Bela rege ad mare fugam faciente Tartari usque ad ipsum⁸ crudeliter insecurunt. Manserunt enim ipsi Tartari in regno Hungariae tribus annis et quia seminare illis temporibus non potuerunt Hungari, ideo multo plures post exitum illorum fame perierunt, quam illi, qui in captivitatem ducti sunt et gladio ceciderunt.

Post haec autem rex Bela reversus est de maritimis partibus et ducem Austriae Fredericum, virum bellicosum ante Novam Civitatem⁹ gens occidit Hungarorum in proelio et transfixit per maxillam.¹⁰ Licet tamen idem dux cecidit in bello, Bela rex praefatus triumphum cum Hungaris perdidit.

Rex Bela moritur.

Obiit autem rex Bela anno Domini MCCLXX. quinto Nonas Maias, feria sexta,¹¹ in festo inventionis sanctae crucis in insula Budensi, et sepultum est corpus eius Strigonii in ecclesia fratrum minorum,¹² con-

¹ II. Endre ² székesegyház ³ Fejérvár ⁴ tisztes-ségből ⁵ a legmélyebb hódolattal ⁶ mongolok ⁷ Sajó 8 egészen odáig ⁹ Bécsuhely ¹⁰ áillesont ¹¹ pénteken

structa ad honorem Virginis gloriosae, quam ipse dominus rex Bela adhuc vivens sumptuoso opere et pulchro fecerat inchoari,¹³ ubi cum domina regina consorte sua, Maria nomine, filia imperatoris Graecorum et duce Bela filio suo carissimo feliciter requiescit. Vir virtutibus plenus, cuius memoria quasi mel dulcorosum¹⁴ usque in diem hodiernum in ore omnium Hungarorum et aliarum plurimi nationum suavescit, cuius corpus Philippus archiepiscopus Strigoniensis de ecclesia memorata auferri exhumando fecerat contra iura, et in sua ecclesia cathedrali indebito tumulari. Super quo facto coram summo pontifice causa diutius ventilata,¹⁵ fratres minores cum honore maximo rehahere ex integro meruerunt, et coram Virginis ara gloriosius condiderunt, ubi hi pulchri versus continentur :

Aspice rem caram, tres cingunt Virginis aram,
Rex, dux, regina, quibus assint gaudia trina.¹⁶
et sequitur :

Dum licuit, tua dum viguit, rex Bela, potestas,
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honestas.

¹² minorita barátok ¹³ megkezd ¹⁴ édes ¹⁵ sokáig
folyt a per ¹⁶ legyen örömkü is háromszoros.



Iocosa.

— Cur tam tristis es ?

— Confestim¹ ut peregre domo discederem, mihi suasum est.

— O te miserum ! Sed nesciebam te tam gravi morbo correptum esse.² Quonam medicus te morbo laborare dixit ?

— Non medicus mihi discessum,³ sed meae patronus causae suasit. C. Ács.

*

Hospes : Mihi istum foetidum⁴ piscem appони !⁵ Cum octo diebus ante hic coenassem, piscis mihi recens⁶ et, qui iucundissime saperet,⁷ appositus est.

Puer : Atqui hic idem ipse piscis est. Idem.

— A venditore quodam rerum antiquarum⁸ emi urnam, in qua Romani olim mortuorum ossa et cineres condiderunt. Vide sis, quam integrum ex omni parte et re vera singulare⁹ sit exemplum !¹⁰

— Sed quem tibi praebebit usum ? An vivu concremari ?

*

Hera :¹¹ Rusticitatem¹² tuam ferre iam non possum diutius. Nullus praeterit dies, quin aliquot vasa frangas. Quot dies sunt tandem,¹³ ex quo apud me servis ?

Coqua : Evidem, o hera, istud facillime computabo.¹⁴ Cum operam tibi locassem,¹⁵ numerus vasorum sexaginta erat, catinum¹⁶ vero ultimum nunc ipsum de manu mihi excidit.

*

Discipuli esurientes sine pecunia in deversorium¹⁷ ingrediuntur. Iuvenis capona,¹⁸ quae suaves cibos apposuerat, libens circa discipulos agebat.¹⁹ Repente unus ex iis exclamat :

— Solvo !²⁰

— Non tu solves — ait alter ; — veni huc, capona, ego solvam.

— Nil mea refert,²¹ quis solvat — responde mulier.

— Si nil refert, ego solvam — clamat tertius. — Ego semper vobiscum edo neque me unquam solvere sinitis.

Tum paene rixa ob certamen solvendi exorta est.

— Cum unusquisque nostrum — ait primus — solvere cupiat, nil aliud restat, nisi ut quem capona oculis obligatis²² apprehenderit, is solvat.

Caponae placet ludus ; oculi eius obligantur. Tum discipuli ianua placide aperta singuli elabuntur.

Caponae placet ludus ; oculi eius obligantur. Tum discipuli ianua placide aperta singuli elabuntur.

Caponae placet ludus ; oculi eius obligantur. Tum discipuli ianua placide aperta singuli elabuntur.

— Hic solvet !

— Ille re vera solvit, sed pro discipulis caponam huius rei paenituit. V. Fehér.

¹ azonnal ² fogott el ³ bűdös ⁴ elutazás ⁵ fel-szolgálni ⁶ friss ⁷ pompás izü ⁸ régiségkereskedő ⁹ párrját ritkító ¹⁰ példány ¹¹ úrnő ¹² ostobáságodat, ügyetlenségedet ¹³ ugyan hány napja ? ¹⁴ kiszámít ¹⁵ szógalatodba álltam ¹⁶ tál ¹⁷ vendéglő ¹⁸ kocs-márosné ¹⁹ súrög-forog ²⁰ fizet ²¹ mindegy ²² be-köt ²³ férj.



Discipulus quidam ebrius ex ganea²⁴ egresus creditorem²⁵ convenit.

— Hei — inquit creditor, — mihi non vis satis facere,²⁶ cum pro vino solvere possis.

— Erras — ait discipulus. — Tu quidem vides me vinum bibisse, tamen solvisse non vidisti.

Idem.

²⁴ csapszék ²⁵ hitelező ²⁶ kielégít.

LUDI UTRIUSQUE SEXUS IUVENTAE.

Paulus sodales petasis¹ ludere docet.

«Opus erit nobis duobus petasis, usu iam omnino detritis»² — dixit Paulus pueris et puellis, qui ludendi causa hilariter eum circumstiebant. Tum Petrum asfatus: «I modo, sodes, — ait — et affer nobis tales. Inter quisquiliias³ profecto reperies nonnullos».

Petrus in cellam cucurrit, unde brevi cum duobus petasis revertit eosque Paulo tradidit.

«En habemus petasos» — exultat Paulus deformia⁴ capitum tegimina manu agitans. «Iam docebo vos, sodales novum ludum. Attendite!»

His dictis unum petasum capiti⁵ Marthae aptavit⁶ iussitque eam semper contrarium facere atque ipse manibus, pedibus, oculis aut lingua facturus esset.

Ludus brevi incepit est. Partes primi actoris Martha agebat. Pueri et puellae multum errabant multamque voluptatem e lusu capiebant. Dexteritate⁶ praesertim Iulia eminebat, sed cum Petrus repente canere coepisset, illa non obmutuit,⁷ itaque pignus dare coacta est.

Postquam omnes in ordine partes primi actoris egerunt, finitus est Iudus et pueri puellaeque sua quisque receperunt pignora.

Felicianus Gondán dr.

¹ kalap ² kopott ³ lim-lom ⁴ formáját vesztett
⁵ fejére tesz ⁶ ügyesség ⁷ elhallgat.

Qualis haberi vis, talis esto. /Cic. de off. 2. 12, 44./

*

Non potest civitas abscondi¹ supra montem posita. /Matth. 5. 14./

¹ ne rejthető el.

Solutiones aenigmatum numeri IV.

I. Hadria, Oeneus, Rhodus, Aerope, Thebae, Iberus, Ulixes, Sappho, Horatius. — II. Erato, Dubis, Catti, cifta, cardo, talpa, ruina, pupus, Sidon, Eutropius. — III. Imber, mors, Tanaquil, lex, Ianus, essedum, peregrinus, esca, monstrum, etiam, Anacreon, nummus, semel, talpa, Mummius, quaestor, raptor, iter, hortus, ramus, Dido, esurit. Immortalia ne spores, monet annus et alnum quae rapit hora diem. (Hor. od. 4. 7, 7.)

Aenigmata recte dissolverunt: Catharina Crouy, discipuli VII. classis gymn. reg. cath. Miskolciensis, Georgius Donáth, Magdalena Fajcsék, Elmerus Naay, Marianna Renner, Iulius Schauer, Adalbertus Kollár, Paula Szilassy, Tiburtius Tihanyi, Barabbas Tóth, Tiburtius Vass.

Praemium Catharinae Crouy sorte obvenit.

AENIGMATA.

I.

e	n	e
c	t	o
S	u	a
q	u	i
p	r	e
i	e	m
u	o	t
r	r	i
e	n	m
h	a	n
I	l	a
u	o	r
n	u	s
i	e	o
b	e	t
r	u	i

II.

Dissolvendum ad saltum equulei.

re	mi	fe
non	rus	mo
ad	sit.	sce
ut	e	Ne

III.

Dissolvendum ad saltum equulei.

ni	ce	dis,
Sin	a	cun
que	vas,	si
scit.	est	rum
	ce	fun
	in	quod

Vocabulorum litterae desideratae reddent proverbum.

Moderator ephemерidis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)